

De Elench. Soph. in genere.

647

cum ibid. inquit: in rebus inanimis itidem se res
habet, harum enim quaedam argentum, quaedam
aurum sunt vera, alia cum non sint, tamen
quoad sensum, videntur esse. Eodem modo pergit
Arist. d. 1. Syllogismus etiam & elenchus alius est
vera, alius non est, sed esse videtur propter im-
peritiam, nam imperiti quasi procul distantes con-
templantur.

2. Quia igitur, ut ex dictis constat, praeter
elenchos veros dantur etiam falsi seu sophisti-
ci, ideo de his quoque Aristoteles, cuius ve-
stigia hic sequi animus est, egit, non eum in fi-
nem, ut illis utamur, aliosque decipamus,
sicut male quosdam veteres sensisse, autor est
Alexander Aphrod. si ejus est comment. in
libr. de elenchis sophistic. sed, ut ibid. docet.
Alexand. ne ab his, qui utuntur ejusmodi e-
lenchis Sophisticis, decipiamur.

3. Sciendum igitur, quod, sicut teste Arist.
in Rhetor. ejusdem facultatis est, videre, quid
verum sit, & quid verò simile: ita ejusdem et-
iam facultatis, nempe dialecticæ, sit scire, quid
sit ἀληθῶς ἐνδοξόν, verè probabile & hominum
opinionem consentaneum, & quid φαινόμενον
ἐνδοξόν, quid videatur probabile, cum non
sit. Quia igitur in doctrinâ de Dialectica
actum fuit de iis, quæ ἀληθῶς ἐνδοξα, verè
probabilia ideo ut δεικνύμις Dialectici absolva-
tur, ductu Aristotelis nunc etiam agendum
est de illis, quæ videntur probabilia, nec ta-

ss 4

men